1260 ig 11. Junii. Ex MS. Arch: Cap: Plocensis~

77

Litera Casimiri ducis Cuiaviæ et Lanciciæ concessionis liberi transitus hominibus ad inhabitandum terras ecclesiæ Plocensis transeuntibus, cum libertatione à solutione theloneorum et pedagiorum quorumlibet

Nos Casimirus Cuiaviæ et Lanciciæ dux illustris, palatinis, castellanis, iudicibus, theloneariis, et aliorũ officiorum executoribus universis, in terris et dominio nostro constitutis præsentes inspecturis, salutem et nostram bonam voluntatem. Præsentium tenore vobis omnibus et singulis innotescat, quòd nos ad petitionem venerabilis patris domini Petri Dei gratia Plocensis episcopi, hospitibus undecunque per ipsum ad inhabitandum Plocensis ecclesiæ terras et prædia per Mazoviam, invitatis, liberam per terras nostras illuc transeundi concessimus et concedimus facultatem, mandantes, et sub indignationis districti præcipientes, nè quis eosdem transeuntes vel retransseuntes quotiscunque, molestare præsumat, aut etiam molestari permittat, tam in pedagiorum vel theloneorum exactione, quas aliis occasionibus quibuscunque, tanqm plena super his immunitate gaudentes, tam eorum personæ, quàm familiæ vel parvulorum sexus utriusque, vectiones quoque rerum vel supellectilium, animalium et greges si fuerint vel armenta et bestiæ universæ. Datum in Dobrzyn anno Dominĩ millesimo ducentesimo Sexagesimo. Tertio idus Junii~